

inclinavit, quia auctorem vitae et disciplinae in his requisivit. Quapropter volumen psalmorum quasi favum mellis sedula meditatione et vocali expressione manducabat, ut tandem quasi mel in ore eius dulcesceret et in ventre memoriae recondere. Caetera etiam cantica spiritualia quasi fragmenta delicata recollegit, ut his admodum imbutus sciret, horas canonicas cantare et missas votivas adimplere. In hac spiritali palaestra instructus agonotheta Christi coepit, vires animae exercere, vires autem corporis ieiuniis et disciplinis frangere. Maxime autem studebat, propriam voluntatem iugulare et carnis vitia occidere. Praeter alias orationes peculiares, quas domino offerebat, quinque orationes dominicas velut unguentem suavissimum quinque vulneribus Christi singulis diebus infundebat. Inspectis igitur bonis operibus, in quibus vir devotus cottidie de virtute in virtutem gradiebatur, ascendere ad sacros ordines gradatim iubetur et postremo ad dignitatem sacerdotii sublimatur.

Cap. 3 [De illusionem diaboli, qua in ordine tentatus est]

Figmenta et fallacias serpentis antiqui magna sollicitudine caveant religiosi, qui devotae orationis incensum deo offerre et contra spirituales nequicias dimicare proponunt. Quia hostis versutus callidiores insidiarum laqueos contra illos molitur tendere, quos viderit scalam virtutum fortius ascendere. Quapropter tentationem, quae huic viro accidit, ad cautelam proponam. Continua sollicitudo et cottidiana consuetudo erat viro devoto, thymiamata^d devotae orationis cum lacrimis deo omnipotenti offerre et ipsius clementiam quanto potuit obnixius implorare. Cernens vero omnium bonorum invidus sathanas orationis incensum a bonis angelis illuc deferri, unde ipse meruit precipitari, mox invidit et ad calliditatis suae argumenta confugit. Noctifer ille assumpsit negotium perambulans in tenebris contra quem non audebat emittere sagittam in die volentem. Transfiguratus enim in angelum lucis per spatium triennii singulis noctibus in conticinio venit ad lectum ipsius et excitavit eum dicens: „Surge, serve dei, lauda creatorem tuum.“ Excitatus vero a radiis fulgoris et efficacia vocis credulitatis accipiens argumentum mox surrexit et in divinis laudibus vires corporis quanto potuit propensius expendit. Sicque viribus naturalibus attenuatus debitum tempus matutinale non potuit digne, strenue et pure persolvere, sed nunc dormitans et dormiens somno membra lassa refocillabat. De his delictis suam culpam in confessione recognovit et causam, acsi per bonum angelum fieret, funditus detexit. Quo audito confessor ait: „Crede mihi, fili, hoc

d) thymiamata $W_1 W_2$.